

quod nequit habere effectum intentum, nisi revocatis privilegiis in contrarium. nu. 38.

37. Per clausulas revocatorias communes non censetur revocata privilegia Regularium, vel privilegia concessa per modum contractus onerosi, aut remunerativa ex iustitia, aut falcita aliqua causa irrevocabilitatis, aut inserta in corpore juris, concessa ab aliquo Concilio generali, concessa vel confirmata a Tridentino, aut vivæ vocis oracula; de quibus omnibus, ut revocata censentur, specialis mentio in revocatione facienda est, nisi aliunde constet, Principis mentem esse etiam ista revocare, tunc enim vere revocata erunt. Si revocatio fiat *Motu proprio*, & *ex certa scientia*, vel *de potestatis plenitudine*, privilegia quomodocunque qualificata revocantur, exceptis iis, quæ in contractu oneroso fundantur, vel quæ jus tertii acquisitum graviter lædunt. Tract. 18. cap. 2. num. 39. 40. 41. Tacita revocatio tantum valet quoad ea quæ novæ dispositioni contrariantur; & hæc nova dispositio, vel statutum debet esse ex certa scientia, & notitia privilegii, cui contrariatur. Tunc autem in revocante prioris privilegii scientia præsumitur, cum illud est insertum in corpore juris, & absque alia clausula revocatoria per talem dispositionem contrarium revocatur, licet nulla de eo fiat mentio. nu. 43. 44.

38. Ad revocationem privilegii, quæ fit per legem contrariam, ea publicatio requiritur, quæ pro lege est necessaria. Revocatio privilegii ab homine facta non habet effectum, quæ pro lege est necessaria. Revocatio privilegii ab homine facta non habet effectum, nec irritat gesta per privilegium, nisi ad notitiam privilegiati perveniat, eique specialiter intimetur, vel per epistolam, vel per scriptum, vel per nuncium a revocante missum; nec sufficit quod privilegiius alio quocunque modo de revocatione privilegii notitiam habeat. Quando revocatum est privilegium alicujus communitatis, sufficit quod revocationis intimatio fiat corpori, nempe Capitulo

vel ejus capiti. Revocatis privilegiis unius Ordinis non censetur revocata eadem privilegia quoad alios Ordines cum illo communicantes, etiam si per se primo illi essent concessa. Tract. 18. cap. 2. n. 48. Ut vivæ vocis oracula profint pro foro externo, requiruntur saltem duo testes, qui concessioni adfuerint, & testificari possunt. Revocatis privilegiis, non censetur revocata vivæ vocis oracula, nisi specificentur. n. 50.

39. Per Greg. XV. & Urbanum VIII. revocata sunt omnia vivæ vocis oracula non expedita per illos Pontificis Officiales, quibus de Pontificis oraculis fides præstari solebat, ut sunt Camerarii, Vicecancellarii, Notarii, &c. quibus adnumerandus est Eminentissimus Cardinalis Protedor. Tract. 18. cap. 2. num. 51. Sub dictis revocationibus non comprehenduntur illa vivæ vocis oracula, quæ sunt meræ declarationes decretorum, vel Bullarum, aut Concilii Tridentini: nec Indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ: nec concessiones vivæ vocis oraculo omnibus fidelibus primo, & per se factæ, vel omnibus Ecclesiasticis. nu. 52. 53. 54. Neque revocata censentur communicationes privilegiorum per Bullas concessorum, aut eorum confirmationes vivæ vocis oraculo factæ. nu. 55. Omnia privilegia vivæ vocis oraculo concessa Regularibus, usque ad annum 1621. fuerunt confirmata, per varias Bullas ex motu proprio: certa scientia: & de Apostolicæ potestatis plenitudine, & præcipue per Greg. XV. die 16. Octob. prædicti anni; & ideo transferunt in privilegia Bullata. Per dictas ergo Bullas revocata remanserunt sola vivæ vocis oraculo concessa, a die 16. Octobris 1621. ad revocatoriam Urbani VIII. 20. Decembris 1631. & etiam vivæ vocis oracula, quæ ante annum 1621. in privilegia Bullata minime transferunt. nu. 56. 57. 61.

40. Gregorius XV. & Urbanus VIII. in prædictis suis revocatoriis relinquerunt intacta etiam oracula, quæ suum sortita fuerant effectum; sive in suo principali effectu unicum tantum habentia actum, licet

ficet successive transeuntem: sive unum principalem effectum cum pluribus actibus secundariis cum illo necessario conexis, & in futurum succedentibus. Quare si quis per vivæ vocis oraculum obtinuit gradum Magistri; &c. aut confirmationem alicujus privilegii Bullati jam deperdit, vel per non utum extincti, tale oraculum non censetur revocatum, quia suum effectum principalem consecutum est ante revocationem. Sic etiam si quis ante revocationem Oraculorum, per vivæ vocis oraculum habuit facultatem comedendi lactinia per totam quadragesimam, & jam per majorem partem quadragesimæ privilegio usus est; non censetur tale oraculum revocari, quia jam habuit suum effectum principalem in actu successive transeunte. nu. 65. 67.

41. *Confirmatio*, (prout ad præsens attinet) est *juris questii reboratio*. Duplex est: alia *in forma communi*, ut quando confirmatur privilegium antea concessum, sine alio examine, aut districtiori notitia illius; alia *ex certa scientia*, quando nihil minus cum perfecta notitia, & examine privilegii, circumstantiarum, cæterorum ad ejus conditionem spectantium, illud confirmatur. Indicat etiam privilegium confirmari ex certa scientia, quando illius tenor ponitur in confirmatione. Confirmatio in forma communi non revalidat privilegium invalidum. Tract. 18. cap. 2. nu. 68. 69. Confirmatio ex certa scientia reddit privilegium de invalido validum, restituit privilegia amissa per non usum, vel per contrarium usum, & restaurat revocata, vel quomodolibet deperdita; nisi aliqua clausula apposita hæc restringat, vel limitet. num. 70. Per confirmationem ex certa scientia, & de plenitudine potestatis non restaurantur privilegia revocata per jus commune, vel per aliquod Concilium generale, nisi de tali revocatione fiat specifica & expressa mentio. Nec confirmantur privilegia, actus, vel possessio cum præjudicio tertii in re gravi, nisi hoc exprimat. n. 73. 74.

42. Bifariam potest una Religio cum

alia communicare in privilegiis; nempe vel in concessis tantum, vel in concessis simul & concedendis. Confirmatis privilegiis unius Religionis, non confirmantur pro Religione cum ea communicante, nisi communicet in concessis, & concedendis; quia confirmatio est novum privilegium ad quod non fit extendit communicatio in concessis tantum. Tract. 18. cap. 2. num. 66. 77. Confirmatis privilegiis propriis unius Religionis, non censentur confirmata privilegia propria alterius, quæ gaudet communicatione generali cum illa, sive privilegia sint diversa, sive eadem; etiam communicatio fit extendat ad concedenda. Probabilissimum tamen est, & fortassis etiam verius, quod supposita communicatione in concedendis, quod confirmatis privilegiis propriis unius Religionis confirmata censentur etiam privilegia aliarum cum illa communicantium. nu. 78. Non fit exalceatæ Congregationi per Clementis VIII. Bullam *cum audum*, &c. concessa sunt omnia privilegia omnium aliorum Ordinum, sive propria, sive per participationem communicata, non secus ac si essent nobis specialiter concessa, cum sola clausula: *dummodo Sacrosancto Concilio Tridentino, Regulæ primitivæ, & constitutionibus non advenentur*. nu. 80.

## CAPUT II.

### De privilegiis in particulari.

CUM hucusque de privilegiis in communi actum sit, de eisdem nunc singillatim agendum est. Quia tamen de omnibus, quæ ad diversos status attinent, sermonem texere res est non parum laboriosa, & prolixa, sola in hoc capite privilegia ad Ecclesiasticos pertinentia, & ea quæ sunt propria Regularium perscringemus, iis omisis de quibus sparsim in hac summa fit mentio.

## s. I.

De privilegiis qua omnibus Ecclesiasticis competunt.

43. Jure divino Ecclesiastici exempti sunt a potestate seculari, quoad res spirituales, & ea omnia, quæ mere Ecclesiastica sunt; ut Electiones Prælatorum, Ordinationes, &c. Jure humano Civili, & Canonico, non autem naturali, & divino a potestate seculari exempti sunt, tam quoad personas, quam quoad omnes suas res, nec non quoad lites, & controversias, omnesque causas tam civiles quam criminales. Tract. 8. cap. 7. num. 1. 2. 6. Tenentur tamen illas leges politicas, & civiles in conscientia observare, quæ illorum statui non repugnant; & hoc non vi coercitiva, sed tantum directiva. num. 14. 16. Magistratus secularis absolute cogere non potest Clericos in casu necessitatis, ut triticum vendant, sed Episcopus adeundus est, ut eos ad venditionem compellat: Verum ipsi Clerici mortaliter peccant, triticum, vel alia ad victum populi necessaria retinendo, vel supra communem pretium vendendo. Quod si necessitas sit urgens, & periculum in mora, potest Judex secularis triticum ex domibus Clericorum extrahere, & vendere, non quia jurisdictionem habeat, sed ut necessitati satisfiat. n. 17.

44. Possunt ministri regii Clericos armis prohibitis expoliare, si ea deserant: quia licet ab Episcopo potius hæc arma auferri deberent; cum tamen Episcopi multoties non possint, vel ex mora ablationis sæpe periculum imminet, licitum est ministris regis ipsa a Clericis auferre; non per modum punitionis, sed per modum defensionis publicæ quietis, & pacis. Tract. 8. cap. 7. num. 18. Ecclesiastici aportantes contra legem aliquid extra Regnum, ut triticum, vinum, mercès, &c. licet ipsi contra humani modi legem agendo, mortaliter peccent, non possunt tamen iis rebus in penam aportationis privari, & multo

minus a Judice laico puniri, sed tantum ipsi dicta aportatio impediri potest nu. 19. Clericus in fragranti crimine inventus potest a satellitibus laici Judicis comprehendii, & ad Ecclesiasticum superiorem adduci, absque eo quod in excommunicationem incurrat, maxime si crimen sit enorme, dummodo sine ulla irreverentia, vi, aut injuria id faciant. Idem dicendum si Clericus non in fragranti crimine, sed notu cum armis prohibitis, vel mutato habitu inveniat. num. 20. 21.

45. Potest illud celebre privilegium quod dicitur privilegium Canonis, quo Clerici ea gaudent immunitate, quoad suas personas, ut si quis suadente diabolo illos percussit gravissimam excommunicationem incurrat, (de quo in tract. de censuris;) alio quoque privilegio fruuntur, quod scilicet non possint in carcerem conjici; puniri, judicari a magistratu seculari; & hoc ex jure tunc Canonico tum civili; & licet jus civile Ecclesiasticos non exemerit, nisi tantum quoad causas civiles, jus tamen Canonicum, cui lex civilis cedere debet, eos simpliciter eximit & in civilibus, & in criminalibus. Tract. 8. cap. 7. num. 23. 24. Si Clerici in manifestam secularis Reipublicæ perniciem populos commoverent; communemque pacem turbarent; contra principium Principem cives arment, & incitarent, nec a propriis Episcopis coercerentur, porent Princeps in tali causa contra illos agere, eos coercere, & punire, non tamen pœna mortis; nam hæc ad Reipublicæ quietem necessaria non est. In aliis autem casibus minime licet Principi seculari contra Ecclesiasticos agere: ideoque non licet ei Clericum notorium graffatorem punire, nisi postquam per sententiam Judicis Ecclesiastici talis est declaratus: nec similiter Clericum incorrigibilem antequam a Judice Ecclesiastico declaratur talis, & tradatur brachio seculari: nec Clericum sodomitam, etiam si notorius sit, sed est etiam probabile oppositum, nam Clericus sodomita per Leonem X. & S. Pium V. omni privilegio clericali privatur. nu. 27. 29.

46. In excommunicationem Bullæ cæne incidere Judex secularis de Ecclesiastico in causa criminali occulte inquirens, etiam si hoc faceret ea intentione ut processum Judici Ecclesiastico deseret. Tract. 8. cap. 7. num. 30. Clericus in Sacris constitutus incedens sine habitu clericali, & tonsura, & gravissimis se delictis immiscens v. g. homicidiis, sacrilegiis, adulteriis, latrocinis, &c. non nisi a suo Prælo ter admonitus, & punitus, si non respiscat, ipso facto fori privilegium amittit, & tunc per Judicem secularem puniri potest. nu. 31. Clerici, vel Episcopi inobedientes mandatis Regiis, vel alia delicta perpetrantes nequeunt a Principibus secularibus e suo Regno expelli; & tam Principes eos expellentes, quam consilarii tales expulsionem consulentes incidunt in excommunicationem Bullæ cæne; quia licet Clerici, & Episcopi Regum mandatis, quæ contra Ecclesiasticam immunitatem non pugnant obtemperare debeant, non tamen ad hoc tenentur vi coactiva sed directiva; nec per hoc quod contra illa delinquant, fori privilegium amittunt. num. 32.

47. Non solum gaudent Ecclesiastici privilegio exemptionis, quoad personam, sed etiam quoad omnia eorum bona, nedum Ecclesiastica sed etiam patrimonialia, sive donata, sive empta, aut alio quovis titulo acquisita, ita ut omnino libera sint a quibuscunque tributis, impositionibus, & gabelis seculari Principi exolvendis. Si bona non Ecclesiastica antequam ad Ecclesiasticum devenirent, habebant aliquod onus certum, invariabile ipsis annexum, ut censum, servitutem Principi debitam, onus reparandi viam, &c. hæc omnia præstanda sunt ab Ecclesiastico, qui ea acquisivit, quia res quæcumque cum suo onere transit; sed ad hæc præstanda compelli non potest, nisi a Judice Ecclesiastico. Tract. 18. cap. 7. num. 35. 36. Non potest Judex secularis procedere contra animalia, & pecora Clericorum inventa in alienis pascuis; nu. 43. Tempore pestis aut pu-

blicæ necessitatis, si publica necessitas æque præmat secularis, & Ecclesiasticos, tunc ex communi consensu utrorumque super hoc convenientium, etiam Ecclesiastici contribuere debent. num. 45. Clerici negotiationem exercentes, quoad bona, quæ emunt, vendunt, & quibus negotiantur, absque ulla præmissa admonitione sunt immunitate privati, & pro iis gabelas solvere tenentur, & ab eis licite exigii possunt; quoad alia vero eorum bona, quæ pure Ecclesiastica non sunt, præmissa trina admonitione, si adhuc negotiationi insistant, immunitatem amittunt, & gabelis subjiciuntur. num. 14.

48. Ecclesiasticos exemptos esse jure divino a potestate seculari quoad causas, & controversias mere spirituales, constat ex jam dictis: quantum vero ad causas civiles, jure humano tam canonico quam civili exempti sunt. Tract. 8. cap. 7. nu. 55. Omnibus prædictis privilegiis; nempe Canonis, fori, & exemptionis a tributis gaudent omnes Clerici in Sacris constituti, omnes Regulares utriusque sexus, non solum professi sed etiam Novitii, Equites quoque D. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ. Tertiarii vero Ordinis, cujus tertie regulæ habitum assumpserunt, privilegiis fruuntur, & ab Ordinario jurisdictione eximuntur, si vere collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent, & mulieres virginalem, seu caliebem vitam, aut vidualem expresso voto, & sub dicto habitu traduxerint; ut Sacra Congregatio Concilii Tridentini declaravit. n. 57. 58.

49. De Cleris in minoribus constitutis, vel sola tonsura initiatis sic loquitur Trid. sess. 23. cap. 6. Fori privilegium non gaudet, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & consuram defrensus alicui Ecclesie de mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi quasi in via ad suscipiendos majores Ordines, versetur. Si deficientibus his conditionibus non gaudet Clericus privilegio fori, consequenter nec

privilegio canonis, & probabiliter nec privilegio exemptionis a tributis, Tract. 8. cap. 7. num. 59. 60. Ut Clericus hoc privilegio fruatur, sufficit quod titulum beneficium habeat, licet illud non possideat, nec redditus percipiat. Sufficit etiam praesimionium, vel capellania. num. 62. 63. Illa clausula: *habitu Clericalem* & *consuetudinem deferens*: accipi debet disjunctive, nempe *habitu Clericalem* vel *consuetudinem*; sicuti eam de mente omnium Tridentini interpretum accipit Barbosa. num. 64. Ad hoc ut Clericus non portando habitum, vel consuetudinem amittat privilegium fori non requiritur trina praecedens Episcopi admonitio, sed sufficit quod per longum tempus non deserat. num. 65.

50. Qui Ordines minores, & habitum Clericalem assumunt post patratum delictum animo subtrahendi se a potestate seculari, verius est gaudere privilegio fori. Tract. 8. cap. 7. num. 67. Licentia Episcopi ad interveniendum Ecclesiae debet esse expressa. Non sufficit quod Clericus intersit in temporalibus, sed debet deservire in spiritualibus, & pro notable temporis spatium num. 68. Clerici conjugati, qui habitum vel consuetudinem deserunt, & alicui Ecclesiae de mandato Episcopi deserviunt, si cum una sola, & virgine contraxerint matrimonium, gaudent privilegio fori tam in civilibus quam in criminalibus. num. 69. Praedicta privilegia, quae Ecclesiasticis sive iure divino, sive humano competunt, non possunt a Principibus revocari, sed neque a summo Pontifice saltem in totum, quamvis ipse in aliquo casu particulari possit Clericos potestati seculari submittere. num. 70. Non possunt praedicta privilegia per consuetudinem oppositam deseri; sed omnis contraria consuetudo quantumvis immemorabilis, qua ministri Regii in causis, sive civilibus, sive criminalibus Clericorum se intronitunt, non consuetudo, sed corruptela censenda est. n. 73.

51. Supponimus posse Principes, Ministros Regios, & Judices laicos vim auferre, & violentia cognoscere, inspi-

cere acta, & vim vi repellere, defensionemque innocents contra Judicem Ecclesiasticum vim inferentem assumere, quando vel non patet aditus ad Superiorem, ut ad Pontificem, Metropolitanum, vel Nuntium; vel talis recurrit est difficultas, vel periculum est in mora, vel denique quando ipsi Superiores requisiti nolunt, vel negligunt defensionem innocents assumere. num. 76. Verum minime possunt per vim violentiae causas Ecclesiasticas ad se trahere, Judicisque Ecclesiasticos compellere, ut a censuris abstineant, litteralque revocent, cum non desint Judices competentes ad quos appellatio fiat, nempe ab Episcopo ad Metropolitanum, ab isto ad Primatem, & a Primatate ad summum Pontificem; quando ad hos aditus patet: nec ad ipsos Judices seculares pertinet, an iuste, vel non Episcopus denegat appellationem, & per vim executariam procedat. Non desunt tamen plures gravissimi Auctores tam Theologi, quam iuristi id eis licere asserentes. nu. 82. 86. De privilegio celebrandi officia divina tempore interdicti, vide tract. de censuris. sect. 90. 91. 92. 93.

52. Cum privilegium immunitatis localis, non solum competat Monasterio, Ecclesiae, & domibus Regularium, sed omnibus locis sacris, hic de eo agere lubet. Immunitatis nomine illud privilegium intelligitur, quod habent Ecclesiae fidelium, & Domus Regularium, ut sint loca refugii, & quasi asyla eorum, qui commisso aliquo crimine ad ipsas confugiunt ne capiuntur, in carcerem conjiciantur, vel puniantur. Hoc privilegium est tantum de iure Ecclesiastico, & civili, & contra hoc praevallere potest consuetudo. Tract. 18. cap. 3. num. 81. 82. Omnes Ecclesiae sive consecratae, sive non, & etiam nondum completae, si tamen constructio continuatur, etiam interdictae, vel pollutae sint, vel etiam dirutae, nisi auctoritate Superioris sint penitus evertae, & sine spe reedificationis, ( tunc enim desinerent esse locus sacer, ) insuper Capellae, Sacristiae, parietes, turres, ipsiusque Ecclesiae

ecclesiae atrium, & gradus atrii, & loca supra tectum, Ecclesiastica gaudent immunitate, quae extenditur etiam ad Ecclesiae fines per passus 40. pro Cathedralibus, seu majoribus; pro minoribus vero 30. dummodo tamen hoc spatium non discontinuatur per domos secularium, vel per viam publicam. Hoc autem spatium 40. vel 30. passuum conceditur tantum Ecclesiae extra mœnia Civitatis, & extra villas, & comprehendit etiam domos Parochiarum, vel Clericorum intra praedictum spatium existentes. num. 84. 85. 86.

53. Extenditur etiam immunitas ad Hospitalia Episcopi auctoritate erecta, si in eis sit Capella, ubi divina celebrantur: nec non ad Oratoria Episcopi auctoritate constructa. Censetur autem Oratorium auctoritate Episcopi constructum, cum vel ibi divina celebrantur omnibus, ad ea audienda indifferenter admittis; vel cimbalum habeat super tectum, & publice pulsetur. Extenditur insuper ad cœmeterium destinatum pro fidelium sepultura, sive sit Ecclesiae contiguum, sive separatum: insuper ad Tabernaculum SS. Sacramenti, & ad Sacerdotem Eucharistiam portantem, ad quem si reus confugiat securus erit. Item ad Palatium Episcopi, etiam si Episcopus abiens sit, vel mortuus, dummodo secularibus locatum non sit. Tract. 18. cap. 4. nu. 87. Denique extenditur hæc immunitas, non solum ad Ecclesias Regularium secundum totum ambitum exteriorem, & interiorem, sed etiam ad domos, & Monasteria eorum secundum totum ambitum, qui septus est, ut comprehendit claustra, Sacristias, dormitoria, officinas, hortos, &c. nec non & atrium, seu porticum ante Ecclesiam vel Monasterium. num. 88.

54. Omnes fideles cuiuscunque conditionis, & quantumvis gravia delicta commiserint, ( exceptis infra referendis ) gaudent Ecclesiastica immunitate, si ad praedicta loca confugiant, exceptis casibus in iure expressis; & ea frui potest etiam interdictus aut suspensus, immo & hæreticus, si ob alia crimina quam

hæresis capiendus est. Tract. 18. cap. 3. num. 89. Infidelis quoque, si antea patratum delictum paratus erat converti non simulate, sed vere: tunc autem vere, & non simulate converti velle censendus est, si ante patratum delictum, vel conceptum Judicis timorem petiit Baptismum; aut dedit signa conversionis. num. 90. Carceratus quoque, qui raptus carceri, vel qui captus a ministris eorum manibus evadens ad Ecclesiam confugit; secus dicendum de illo quem ministri, per locum sacrum transendo ducerent ad carcerem. num. 91. Clericus, & Religiosus, ex rationabili, fere communi, & recepta consuetudine non prodest immunitas comparative ad suos Prelatos Ecclesiasticos. nu. 93. Prodest tandem immunitas debitoribus, & etiam negotiatoribus, nedum innocenter, sed & fraudulentè decocis. num. 94. 95.

55. Immunitate non gaudent publici latrones, viarum graffatores, depopulatores agrorum: illi qui homicidia, vel mutilationes in Ecclesia, vel ejus cœmeterio committunt, sive extra existentes occidant, aut mutilent intra existentem; sive intra existentem extra existentem: proditorie proximum suum occidentes; dicitur autem proditorie occidere, qui occidit incautum, nil tale praevacantem, aut praevacere debentem, qui aliquem veneno perimit, mater filium infantem occidens, aut abortum procurans; secus vero qui inimicum suum dormientem, vel a tergo, vel per insidias occidit; quia qui inimicum habet, illum cavere debet; rei assassinii, qui scilicet pecunia, aliove pretio conducti Christianum occidunt, etiam si pretium solutum non sit; & comprehenduntur etiam mandantes, etiam morte non secuta, & etiam defendentes, recipientes, vel occultantes assassinos a se cognitos ut tales: Hæretici in causa hæresis, eosque ut tales recipientes, occultantes, defendentes, adiuvantes; & denique rei laesae Majestatis in personam supremi Principis, quocunque modo offendantur: percussione, vulneratione, incarceratione, infuscatione, conjunctione, ma-

chinatione, seditione, prodicione, &c. Tract. 18. cap. 7. num. 96. Præter dictos autem casus, nullus delinquens quantumvis gravia crimina commiserit, immunitate privatur. nu. 107.

56. Reus ad locum sacrum confugiens, in eo capi, aut inde extrahi nequit; & si violenter a quocunque extrahatur a Iudice capi nequit, sed restitui debet: nec potest in loco immuni vexari, aut ligari, nec ei alimenta, aliaque ad vitam necessaria impediri, aut propria bona si quæ secum tulit auferri possunt, dummodo non ibi talia asportaverit in præjudicium creditorum; quia in tali casu ea bona ponenda essent in loco non immuni. Tract. 18. cap. 3. nu. 109. 110. Non potest Iudex sententiam contra reum in loco immuni existentem prolatam executioni mandare: videtur tamen consuetudine receptam, quod possit Iudex eum inquirere, & citare & si non compareat, tanquam in abentem sententiam proferre. Extractus de loco immuni, eisdem restitui debet, vel saltem alteri loco immuni æque securo. Talis autem extractio, & omnes actus ex ea secuti nulli sunt. Iudici volenti extrahere restitui potest a Clericis officia claudendo, eum abscondendo, & etiam censuris, si adfit qui eas fulminare possit. num. 111. 112. 113.

57. Violatores Ecclesiasticæ immunitatis gravissimam culpam sacrilegii committunt: publica poenitentia, & pecuniaria poena per Episcopum puniendi sunt. Tract. 18. cap. 3. nu. 114. Insuper extrahens, aut extrahere tentans, & omnes adjuvantes ipso facto excommunicationem incurrunt, a qua non nisi per summum Pontificem, vel per Episcopum absolvi possunt. num. 17. Regulares reum facinorosum ad Monasterium vel Ecclesiam confugientem expellentes, non eo sine ut privilegio non fruatur, sed ex eo præcile quod sit homo inquietus, injuriosus, tediosus Religiosis, pacis perturbator, vel damnum inferens, & similibus ex causis, non violant immunitatem, nec prædictas poenas incurrunt.

num. 118. In casibus clare exceptis potest Iudex secularis, etiam inconsulto Episcopo, ex recepta consuetudine, & communi praxi reum ab Ecclesia extrahere. In dubio an sit casus in jure exceptus ad Episcopum spectat decisio. num. 121. Nequit tamen Episcopus Clericum sibi subditum ad Ecclesiam Regularium confugientem post delictum, ab ea extrahere sine Prælati Regularis consensu, non propter immunitatem, qua Clericus non gaudet contra sumum Episcopum; sed quia est in loco exempto a jurisdictione Episcopi. num. 123.

## §. II.

## De privilegiis Regularium.

58. Fere omnes Regulares, (aliquibus duntaxat particularibus Monasteriis exceptis,) saltem ex Pontificum privilegiis sunt omnino exempti a Jurisdictione Episcoporum, unde omnes Prælati Regulares habent in propriis Monasteriis, & Ecclesiis jurisdictionem pleno jure quasi Episcopalem. Est autem exemptio, de qua loquimur, quædam liberatio a potestate ordinaria inferiori (Papa, sante immediata subjectione ad Apostolicam Sedem. Tract. 18. cap. 3. num. 1. & 2. Talis exemptio non solum est personalis, sed etiam localis. Non sunt tamen exempti a jurisdictione Legatorum a latere, si eorum facultas, ut solet, Regularium derogat privilegiis. num. 4. Possunt quidem Regulares pro bono pacis comparere coram Ordinario si opus sit, & sua allegare privilegia; non tamen debent illa exhibere, cum id sit illi iudicem constituere; sed debent ad conservatores recurrere. num. 5. Huic privilegio exemptionis minime cedere possunt Religiosi, nec contra illud prevalere potest illa consuetudo, vel usus. num. 7. Hoc privilegio gaudent omnes Religiosi sive viri, sive femine, etiam novitii, immo & tertiaris sub obedientia Ordinis, & habitu viventes, & vitam castibem ducentes: famuli insuper actu

fer-

servientes, & in Monasteriis residentes, quoad Sacramentorum receptionem, & censuras. n. 8.

59. Regulares sine Ordinarii licentia non possunt nova erigere Monasteria, nec recipere Ecclesias a laicis, nec libros imprimere. Tract. 18. cap. 3. num. 10. 11. Subiunguntur etiam Regulares Episcopis, quoad restituenda novitiis nolentibus proficere ea omnia, quæ tempore ingressus fecerunt in Monasterium detulerunt; ita ut possint ab Ordinario ad id compelli. Habet etiam Episcopus auctoritatem supra dispositionem faciendam a Novitiis, ita ut nequeat fieri, nisi intra duos menses ante Professionem, & cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii. Etiam habet facultatem simul cum Priore, seu Prælato immediato cognoscendi de nullitate Professionis eorum, qui contra eam volunt reclamare. Habet etiam auctoritatem Episcopus, vel ejus Vicarius, aut alius ab eo deputatus explorandi virginis ingressuræ, aut professuræ in Religione voluntatem, an sponte, vel coacte id faciat; sed tenetur intra 15. dies postquam monitus fuerit, hoc examen perficere, ita ut illis elapsis amplius non se debeat intromittere, ut declaravit S. Pius V. & multoties decisum fuit. Etiam habent potestatem circa numerum monialium statuum in Monasteriis, ut in eis talis numerus, & non amplius admitatur, ut ex redditibus propriis, & consuetis elemosynis sustentari possint. n. 13. 14.

60. In causis mercedum, & miserabilium personarum possunt Ordinarii contra Regulares procedere: sub nomine autem miserabilium personarum veniunt viduæ, pupilli, orphani, senes decrepiti, incarcerati, diuturno morbo fatigati, puellæ pauperes, Nobiles indigentes, peregrini, & similes. In istorum ergo causis civilibus Regulares extra Monasterium degentes, coram locorum Ordinariis conveniri, & ad solvendum debitum cogi, & compelli possunt. Sed extra Monasterium degere non intelliguntur, qui causa prædicationis, Confessionis, aut alterius negotii extra

existunt, sed qui permanenter per multum tempus extra Monasterium degunt sine licentia suorum Prælatorum: & contra hos potest etiam Ordinarius procedere, ratione delicti, aut contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa. Regulares autem, qui degunt sub regulari observantia, hoc est cum dependentia a correctione, & visitatione suorum Prælatorum, sive intra, sive extra claustra, & de prædictis causis, aut ratione rei sitæ, vel contractus, vel delicti nequeunt coram Ordinariis conveniri. Tract. 18. cap. 3. num. 15. Subiunguntur etiam Regulares exempti Ordinarii quoad Processiones, ita quod personaliter vocati ab Episcopo per Clericum, vel nuntium ad eos missum cum designatione horæ ad Processiones publicas ire tenentur ex decreto Tridentini, exceptis Carthusianis, & Camaldulensibus eremitis, & illis quorum Monasterium ultra dimidium miliare a Civitate distat: iis quoque exceptis, qui post Tridentinum privilegium habuerunt non eundem, prout habent Carmelitæ exalcati ex privilegio Clementis VIII. & Pauli V. Et qui ex consuetudine legitima non tenentur, seu eximuntur: Nomine autem Ordinarii veniunt etiam Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, & alii Ordinarii Ecclesiarum Collegiarum. n. 16. 17.

61. Regulares sine licentia Episcopi Processiones facere nequeunt, nisi intra Ecclesiarum, vel Monasterii ambitum. Tract. 18. cap. 3. num. 18. Non prohibetur Regularibus dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis annunciare. Possunt oblata in Missa conventuali recipere, & pacem populo dare. Possunt diebus festis in suis Ecclesiis Missas celebrare, ante Missam Parochialem. In propriis Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere possunt. Decedente extra Conventum Religioso, qui Parochus sacramenta ministravit, possunt Religiosi ejusdem Ordinis, & Conventus Cadaver deferre ad propriam Ecclesiam, etiam Parochis inconsultis. Possunt in

in

propriis Ecclesiis predicare tempore Adventus, & Quadragesimæ, licet in Parochiali predicetur, petita tamen Episcopi benedictione. Hæc omnia ex decl. Sacræ Congr. 2. Julii 1620. Quando ad afficiendum corpus defuncti vocantur, servanda est consuetudo. num. 19. Regulares non relinquentes novitiis egredientibus quiddam attulerunt: Moniales clausuram non servantes: Celebrantes in Oratoris privatis possunt ab Episcopo per censuras ad obediendum compelli; secus in quocunque alio casu. num. 20. 22. Regularis ab Episcopo in aliquo ex dictis casibus sibi concessis excommunicatus, potest etiam ab Episcopo publicari, & denunciari: ceterum nisi id specialiter Episcopo in iure concedatur, Regularem a iure excommunicatum denunciare non posse, etiam si delictum notorium sit, verius est. num. 23. 24.

62. Regulares exempti non tenentur interesse Concilii Provincialibus, aut Synodis Diocæsanis, nisi Parochi sint, & in hoc casu ad id cogi possunt. Tract. 18. cap. 3. num. 25. Religiosi exempti minime subijciuntur decretis contentis in Synodis Diocæsanis, aut in Conciliis Provincialibus, neque ad eorum observantiam, nisi quatenus funguntur aliquo Officio dependente ab Episcopo, ut officio Parochi, Confessarii &c. quia tunc in iis quæ talia officia concernunt, dictis legibus subijciuntur, non tamen sub penis, vel censuris in eisdem Synodis, & Conciliis contra transgressores statutis. Similiter nec tenentur particularibus statutis, vel præceptis Episcoporum, nec ad horum observantiam possunt compelli. Tract. 18. cap. 3. nu. 27. 28. Tenentur Regulares observare festa diocæsis cum abinentia a servilibus, & cum auditione sacri, non tamen festa particularia alicujus loci, vel Parochiæ, nec festa votiva populi, licet ab Episcopo confirmata, nec festa consuetudine locorum, vel Ecclesiarum introducta, nisi consuetudo fuerit generalis omnium consensus introducta, & scripta. Tenentur quoque servare inter-

dictum ab Episcopo sive valide sive invalide impositum, si a Matrice observetur. n. 30.

63. Possunt Episcopi visitare confraternitates secularium fundatas in Monasteriis exemptis, sed non illarum Capellas, vel Altaria, quamvis Altaria, vel Capellæ fuerint per confratres extractæ, nisi in iis quæ concernunt administrationem Confraternitatis: quod si harum Confraternitatum Præfectus fuerit Religiosus, hunc Episcopus visitare non potest. Confraternitates autem proprias Ordinis ut Rosarii, Scapularis B. V. de Monte Carmelo, Congiæ &c. quamvis seculares ad illas concurrant, Episcopus visitare non potest. Tract. 18. cap. 3. num. 30. Non possunt Episcopi visitare personas, aut Monasteria exempta, imponere aliquod onus, vel examinare, aut in aliquo ad regimen temporale, vel spirituale illorum se intrudere, neque Ecclesias illorum, vel Capellas, aut confraternitates proprias Religionis visitare, nec tabernaculum SS. Sacramenti invadere. In casu autem quo Regulares in suis Ecclesiis res indecentes haberent, aut res prohibitas permitterent, posset per Concilium Provinciale illas visitare, & etiam censuris contra eos procedere. n. 31.

64. Non potest Episcopus visitare Ecclesias Parochiales secularium subditas Regularibus, & Monasteriis junctas, quæ administrantur per Parochum Religiosum, nec istum punire etiam pro defectibus ad ministerium Parochiale pertinentibus; sed in omnibus, & per omnia subiectæ sunt suis Prælati, a quibus possunt, & debent visitari. Possunt tamen Episcopi visitare Ecclesias parochiales, quæ sunt extra Monasteria, si Ecclesia non sit juncta, vel annexa Monasterio, sed plene subiecta Episcopo, etiam si Religiosus illi inseruiat, & ipsum punire poterit ob defectus sui officii, non vero ob delicta personalia: puniri autem debet juxta regulas Religionis, ac si delictum intra claustra commissum fuisset. Tract. 18. cap. 3. num. 34. Possunt etiam Episcopi visitare quascunque Ec-

cle-

lesias, quamvis Conventibus sint annexæ, si per Sæculares Parochos administrantur, & præcipere totum id quod pertinet ad Sacramentorum administrationem, vel ad ipsas Ecclesias, tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Ecclesias quoque Parochiales subditas Conventui qui est caput Religionis, nisi cum Monasterio sint incorporatæ, vel in illis habeat Generalis jurisdictionem quasi Episcopalem, vel per Religiosos administrantur; Excipiuntur Ecclesiæ, & Parochiæ Conventibus subiectæ, quæ nullius sunt Diocæsis, illæ enim ab Episcopis visitari non possunt. num. 35.

65. Non possunt Episcopi, nisi in casibus a iure illis expresse concessis procedere aliquo modo contra Regulares exemptos, formando contra eos processum, citando, examinando eorum mores, & vitam: & hoc tum ex vi exemptionis, tum etiam quia Pontifices id in specie pluries Regularibus concessere, & præcipue Clem. IV. & Sixtas IV. qui sub gravissimis penis, & censuris ipso facto incurrendis prohibent, quod Ordinarii se intromittant in causis Religiosorum, eos citare, contra ipsos processum formare, aliumve actum jurisdictionis exercere, exceptis quæ ipsis in iure conceduntur; irritum, & inane reddendo quidquid in oppositum facere attentaverint, etiam si id facere pretenderent, eo quod Prælati Regulares essent negligentes in suorum subditorum punitione; hoc enim pertinet ad eorum Prælatos superiores, scilicet Provinciales aut Generales. Verum ex cap. quarto. *De officii Ordinarii.* Possunt Prælatorum negligentiam supplere, Apostatas, & fugitivos capiendo, ut eos ad suos superiores remittant. Tract. 18. cap. 3. num. 43.

66. Possunt Episcopi juxta Tridentinum procedere contra Regulares exemptos, qui extra claustra degentes delinquant, & contra eos qui intra claustra degentes, extra illa cum scandalo populi notorie delinquant, si instante Episcopo, intra tempus ab eo præsumptum, a Superiore non fuerint severè puniti,

Attamen extra claustra illi soli degere censentur, qui ad longum tempus extra Monasterium sui, vel alterius Ordinis absque licentia, & dependentia a suis Prælati morantur, habentque extra illud quasi domicilium ex aliquo particulari indulto, & non subijciuntur communi correctioni, & visitationi suorum Prælatorum, vel etiam ii, qui licet cum licentia, ita tamen longe a Monasterio distant, ut nec visitari, nec nisi post longissimum tempus a suis superioribus puniri valeant. Extra hos casus si Archiepiscopi, Episcopi, Judices &c. etiam ratione delicti, vel contractus, vel rei de qua ageretur, prædictas personas exemptas utriusque sexus in aliquo perturbare præsumpserint, ipso facto excommunicantur, nec possunt absolvi nisi a Romano Pontifice, vel in articulo mortis; & quidquid attentatum fuerit, irritum, & inane declarantur. Ita ex pluribus privilegiis. Tract. 18. cap. 3. nu. 45. 46. 47. 48.

67. Non potest Episcopus ex vi prædictæ facultatis sibi a Tridentino concessæ procedere contra Prælatum, etiam extra claustra delinquentem; quia iudicium in dictis duobus casibus ipsi data contra Religiosos, cum sit odiosa, non extenditur ad Prælatos. Ut Episcopus possit ex vi decreti procedere contra Regularem extra claustra delinquentem, debet delictum esse notorium notoriæ facti. Regularem in propria Ecclesia notorie delinquentem punire non potest, quia intra Monasterium deliquisse censetur. Antequam Episcopus in secundo casu contra Regularem procedat, debet bis, vel ter monere delinquentis superiores, ut cum severe puniat, quod si ille non fecerit, procedere potest. Tract. 18. cap. 3. num. 49. Regulares nunc de facto exempti sunt a decimis, nedum personalibus, sed etiam prædialibus tam prædiorum, & possessionum propriarum, sive eas propriis manibus colant, sive propriis cum pluribus colant, aut per suos colonos quam possessionem, & prædiorum conductorum ab ipsis, vel in Emphytheusim acceptorum. num. 72.

Hoc

Hoc privilegio gaudent etiam Moniales cujuscuque Ordinis, nec non & Milites S. Joannis Hierosolymitani . num. 78. 79.

68. Quidquid fit de jure antiquo, & de privilegiis olim concessis, tria his temporibus pro novorum Monasteriorum erectione omnino servanda sunt, quæ decernuntur a Concilio Tridentino, Clem. VIII. & Greg. XV. quæve ab Urbano VIII. & Sacra Congr. fuere renovata, ampliata, & omnino servari jussa. Primum est, quod in erigendis novis Monasteriis debeat Episcopi licentia præcedere, in cujus Diocesi construenda sunt; & hæc concedere potest etiam Episcopus electus, & confirmatus, licet nondum consecratus. Secundum est quod priusquam hæc licentia concedatur, vocentur, & audiantur aliorum Conventuum Priores, seu Procuratores, alique in ea Civitate, vel loco interesse habentes, & confect novum Monasterium, sine aliorum detrimto commode sustentari posse. Tertium quod novum non construatur Monasterium, nisi in eo ex redditibus, & consuetis elemosynis, de tractis detrahendis, commode duodecim Religiosi alii possint. Monasteria autem post annum 1625. recepta, vel recipienda, in quibus 12. Religiosi ut supra sustentari, & inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarii loci visitationi, & omnimode jurisdictioni subjecta intelligantur. Tract. 18. cap. 3. num. 126. 127. 129. Si sit probabilis spes quod elemosynæ, & redditus brevi augentur, admitti poterit fundatio Monasterii ab initio non habentis redditus, & elemosynas sufficientes ad alendos duodecim Religiosos . num. 130.

69. Si Episcopo constiterit novum Monasterium aliis nullum præjudicium allaturum, Prælati aliorum Ordinum minime convocatis, licentiam dare poterit. Immo ad construendum Monasterium, cujus vidus, & vestitus ex solis reditu-

bus habeatur, sola Ordinarii licentia sufficit. Si alii Regulares erectioni novi Monasterii absque ratione, vel (quod absit) ex mala voluntate contradicant, poterit Ordinarius licentiam dare, non expectato eorum consensu. Tract. 18. cap. 3. num. 131. Sub dictis conditionibus, & prohibitionibus non comprehenduntur Hospitia, & maxime si Religiosi ibi degentes, nec Campanas habeant, nec elemosynas querant, nec Missas recipiant, nec Ecclesias habeant in quibus publice celebrent. Pro secundo requisito notandum, quod debet Episcopus convocare non solum Prælatos Regulares illius loci, sed etiam Monasteriorum intra quatuor miliaria distantium . num. 132. 133. Eadem forma cum tribus conditionibus assignatis servanda est in erectione novi Monasterii Monialium, & insuper prohibetur ne extra Urbes, vel oppida Monasteria Monialium construatur . n. 134.

70. Per privilegia cannarum certa distantia præscribitur inter novum Monasterium erigendum, & ea quæ jam erecta sunt: ista autem distantia dimetri debet a janua Ecclesiæ antiquæ ad januam denuo ædificandæ, licet aliunde horti essent contigui. Clem. IV. concessit Minoribus ne quæcunque alia Religio in paupertate fundata posset Monasterium ædificare intra spatium (\*) 300. cannarum per aerem mensurandum, ubi loci dispositio rectam mensuram non permittat. Item concessit Carmelitæ, ut in *Mari Magno* habeatur, ne alii Ordines Mendicantes Monasteria, vel Ecclesiæ ædificare possint intra spatium 140. cannarum: quod Sixtus IV. ad Ordines etiam non Mendicantes extendit. Urbanus IV. concessit Cisterciensibus ne ulla ædificia construi possent intra unum miliare ab Abbatis, & locis eorum. Sixtus IV. pro Carthusianis statuit, ne ulla Religio ædificium construeret, vel possessiones acquirere possit intra dimidiam leucam a terminis possessionis eorum.

ram. Sed Minimi privilegium habent fundandi etiam intra spatium 140. cannarum a Monasteriis aliorum Ordinum: Quod etiam Societas Jesu obtinuit ex privilegio Greg. XIII. Tract. 18. cap. 3. num. 137. 138. In omnibus prædictis privilegiis datur communicatio. Licet in Civitatibus prædicta privilegia non sint in usu; nihilominus si Regulares, quorum interest velint reclamare allegando prædicta privilegia omnino audiendi sunt . n. 139. 140.

71. Sine licentia Summi Pontificis ex jure antiquo requisita, possunt Prælati Regulares transferre Monasteria fundata in locis sterilibus, & inaquosis, vel saluti, aut eorum observantiæ minus idoneis, & proportionatis ad alia loca magis idonea cum suis redditibus, fructibus, & omnia bona secum ferre, Calices, paramenta, & quæcunque in priore Monasterio habebant materiam quoque ædificiorum, ligna, lapides, &c., & vendere ædificia, & fundum, exceptis Ecclesiis, absque eo quod Episcopi in hoc se ingerere possint. Monasteria autem, & loca Regularium derelicta non debent in habitacula secularium converti, ab ipsis gubernari, vendi, vel in profanos usus redigi, nisi ex magna aliqua necessitate, & rationabili causa cum consensu Episcopi id fiat. Nunquam tamen in usus sordidos commutanda sunt. Monasterium de uno loco in alium translatum retinet, & secum deferret omnia sua jura, exemptiones, & privilegia quæ in priorum loco habebat. Tract. 18. cap. 3. num. 141. 142. Si translatio fiat deserendo unum Monasterium, & aliud erigendo in alia Civitate, vel Oppido, ea omnia servanda sunt, quæ ut supra in novis fundationibus præcipiuntur: secus si translatio fiat de uno in alium locum intra, vel prope eandem civitatem, vel oppidum . num. 143. 144.

72. Possunt etiam Regularium Generales ex privilegio Sixti IV. Urbani VIII. & Sixti V. absque licentia Papæ jure communi antiquo requisito, Conventus tenues derelinquere, vel supprimere, co-

rum bona transferendo cum oneribus annexis ad Conventus majores: in casu autem quo Monasterium aliquod deseratur, & Religiosi illius ad aliud Monasterium transeant, bona Monasterii derelicti acquiruntur Monasterio ad quod Religiosi transferuntur. Si contingat Monasterium penitus destrui, & Religiosos peste, bello, aliave ratione omnino extinguatur, talis Monasterii bona subjacent liberæ dispositioni Sedis Apostolicæ. Tract. 18. cap. 3. num. 146. Monasteria, quæ a Civitatibus, vel Oppidis concessa sunt Regularibus, si deserantur, in manibus Ordinariorum dimittenda sunt; secus Monasteria, quæ ipsi Regulares elemosynis, vel propriis redditibus construxerunt, vel acquirerunt; nam hæc, (servata solemnitate pro alienatione immobilium requisita,) vendere, commutare, & alienare possunt. Monasteria quæ sunt juris patronatus alicujus Patroni, ratione fundationis, constructionis, aut donationis, si Patronus retinet sibi jus disponendi de iis in casu derelictionis, ad ipsum pertinet de eis disporre . nu. 147.

73. Regulares sine nova Ordinarii licentia, vel aliarum Religionum consensu ad Monasteria, sive coactè, sive ex metu injuste incusso, sive sponte ab ipsis derelicta redire possunt; secus si novum aliquod præjudicium, quod prius non aderat, aliis Monasteriis inde proveniturum esset, tunc enim nova Ordinarii licentia, atque Regularium consensu opus esset. Tract. 18. cap. 3. num. 148. Possunt Prælati Regulares ex diversis privilegiis, quando ob tenuitatem reddituum, vel elemosynarum defectum, vel temporum inopiam in aliquibus Monasteriis commode, & religiose degere non valent, unum alteri unire, & incorporare cum omnibus suis redditibus, & proventibus; & hoc sine ulla Episcopi licentia, immo etiam sine consensu, vel beneplacito Patronorum; dummodo de redditibus Monasterii uniusdum constituantur Capellanus, qui exequatur onera a Patronis fundationi annexa. num. 150. Bona Monasteriorum Monialium, quæ

(\*) Canna habet pedes geometricos  $9\frac{1}{4}$

omnino deservunt, & ipsa Monasteriorum aedificia applicanda sunt Monasteriis Fratrum, quibus ipsae Moniales subiectae erant, ita ut libere de ipsis disponere possint; dummodo tamen Oratoria, & Ecclesiae in profanos usus minime convertantur, sed ibi divina aliquando celebrentur. n. 151.

74. Omnes Regulares utriusque sexus habent a Sede Apostolica facultatem nominandi, ac designandi Iudices conservatores, qui ipsorum publicent privilegia, ac eidem Religiosis efficacis defensionis praesidio assistant, & faciant eos gaudere suorum privilegiorum pacifica possessione, non permittentes per alios quoscunque molestari, & adversus molestatores per censuras procedendo, invocato etiam si opus sit auxilio brachii saecularis. *Est autem conservator Iudex a Papa delegatus ad tuendos Regulares ab iniuriis, illorum bona, iura, & privilegia defendendo.* Tract. 18. cap. 3. num. 152. 153. Conservatores electi a Regularibus, (nisi Religiosi sint,) tenentur sub peccato mortali hoc munus acceptare, ob speciale mandatum Summorum Pontificum, qui id ipsis praecipunt sub gravissimis poenis, scilicet excommunicationis, & suspensionis Papae reservatae. num. 154. Semel designato Conservatore pro una causa non potest alius pro eadem nominari, nisi gravi causa urgente. nu. 155. Licet Iudex conservator utpote delegatus, de iure communi subdelegare non possit, id tamen potest ex pluribus privilegiis, per quae ipsis conceditur facultas, ad delegandam suam jurisdictionem, & auctoritatem aliis habentibus condiciones pro Conservatoribus requisitas. n. 156.

75. Morte Pontificis non expirat Conservatoris facultas; quia Conservatores eliguntur virtute concessionis factae Religiosis. Tract. 18. cap. 3. num. 157. Quando Conservator adhibere possit Assessorem in cognoscendis causis Regularium, vide in Bulla Greg. XV. *Sandissimus* hinc. 1621. Praelatus cum suo Capitulo de iure communi potest Iudicem Conservatorem eligere: immo ex variis

privilegiis possunt omnes Praelati, nec non omnes Religiosi particulares nominare sibi Iudicem conservatorem. num. 159. Omnis persona in Ecclesiastica dignitate constituta potest eligi in Iudicem conservatorem: *Est autem dignitas administratio cum jurisdictione*; ad differentiam Personatus, qui est praeminentia, sive praecedentia sine jurisdictione. Possunt etiam eligi Canonici Cathedralium, Regularium Superiores, ac etiam Definitores. Ultra praedictas qualitates juxta Constit. Greg. XV. praecitari debent, qui eligendi sunt, esse ex iis qui designati sunt Iudices Synodales, aliter eorum electio, & acta nullius sunt valoris. num. 161. 162. Nemo potest esse conservator sui Conservatoris. num. 163.

76. Modo Regularium Conservatores solum cognoscere possunt de illis causis, in quibus Regulares rei fuerint, & de iis in quibus actores fuerint quoad iniurias tantum, & manifestas violentias illis illatas. Illa autem dicitur manifesta iniuria, quae per facti evidenciam ita notoria est, ut examinatione non indigeat; aut per multos testes clare, & certitudinaliter probari possit, ita ut negari non valeat: *Violentia vero dicitur iniuria cum vi, & impetu personis, vel rebus facta.* Tract. 18. cap. 3. num. 173. Non possunt Conservatores suum munus exercere cum a Civitatibus, vel Diocesis, in quibus deputati sunt, abuterentur; poterunt tamen tunc alteri existentem in loco, in quo deputati sunt, suum officium delegare. num. 174. Possunt Regulares coram Conservatoribus suis agere contra eos, qui ipsis Regularibus debitum certum, & liquidum solvere nolunt; hoc enim est iniuria certa, & manifesta. num. 175. Ut Conservator procedere valeat, necesse est quod ante omnia appareat, iniuriam, & sui violentiam fuisse manifestam, & notoriam; quod si hoc non constet, poterit summarie rem examinare, & si opus sit, testes ad testificandum cogere, & si eam notoriam reperiat, in iudicio procedat, sin autem, se Iudicem incompetentem pro-

pronunciet. num. 177. Conservator scienter excedens munus suum, & metas suae jurisdictionis, incurrit suspensionem ab officio Conservatoris per annum; sed ab hac poena excusat etiam ignorantia causa. Reus, vel actor inducens conservatorem ad excedendum, secuto effectu, excommunicationem incurrit, a qua non nisi satisfacta parte de expensis, absolvi potest. Impedientes, vel molestantes Conservatores ne suum officium exercent, incurrit excommunicationem, vel suspensionem, prout ipsi elegerint. n. 178.

77. *Sepultura Ecclesiastica est locus concavus in Ecclesiastico cimiterio factus, in quo corpus catholici requiescit.* Nominis cimiterii veniunt etiam Ecclesiae, Capella, Claustra, & omnia loca consecrata, aut benedicta, & ad fidelium sepulchrum Ordinarii designatione deputata. Si quis autem alibi sepeliatur, habebit quidem sepulchrum, sed non Ecclesiasticam sepulchram. Tract. 18. cap. 3. num. 180. Sepulchram vendere ratione benedictionis, aut consecrationis, est simonia de jure naturali, & divino; eam vero vendere ratione soli, seu terrae, est simonia de jure Ecclesiastico. Licebit tamen pro ea stipendium accipere titulo elemosynae, vel pro confectione fabricae, in qua est, & etiam pro loco honoratori plus accipi potest: insuper vendi potest perpetuum jus sepulchri. Deficientibus haeredibus, seu successoribus Fundatoris Capellae, seu emptoris sepulchri, jus illius extinguitur, & redit dominium ad Ecclesiam: non sunt tamen delendae inscriptiones, & insignia Fundatoris, seu Emptoris. Tradita alicui Capella, vel Sepulchro cum pacto, nullus alius ibi sepeliatur, & stipendio recepto, nullus alius in tali loco sepeliri potest, nisi in casu quo defunctus sepulchrum proprium non habere, nec daretur locus omnibus communis. n. 181. 182.

78. Quilibet sive vir, sive mulier cum ad pubertatem pervenerit potest sibi sepulchrum eligere ubicunque voluerit, etiam si servus sit, aut sub patria pote-

state constitutus. Tract. 18. cap. 3. nu. 183. Electio sepulchrae probari potest, vel oretenus per duos testes de auditu, vel per scripturam propria manu, aut per duos testes subscriptam. num. 184. Qui abique sepulchra electione moritur, sepeliendus est in sepulchro majorum suorum, si habeatur; sin autem, in Parochia, in qua recepit sacramenta. Si pater & avus sint in uno sepulchro, & reliqui majores alibi, cum patre, & avo sepeliendus est. Si pater sit in hoc sepulchro, & reliqui majores in alio, cum his sepeliri debet. Si pater sit in uno loco sepultus, avus in alio, & pro avus in alio, sepeliendus est in sepulchro patris si consuetudo sit talis, sin autem, in Parochia, quia majorum non censetur habere sepulchrum. Uxor quae mortuo marito abique electione sepulchrae decedit, cum ultimo marito sepelienda est, etiam si ad paternam domum transierit: si vero ante maritum decedat consuetudini standum est. Si nulla addit consuetudo, sepelienda erit, ubi maritus sepeliri velle significaverat; quod si non significavit, in Parochia sepelietur, nisi proprium sepulchrum habeat. num. 185. Filii naturales abique electione sepulchrae decedentes, nisi in dignitate sint constituti, in sepulchro patris sepeliendi sunt: spurii vero in sepulchro matris, nisi femina sit illius: adoptivi vivente patre, in sepulchro adoptantis sepeliuntur, post obitum vero ejus, in sepulchro patris naturalis. Qui nec majorum habent sepulchra, nec sepulchrum elegerunt, in Parochia in qua receperunt sacramenta sepeliendi sunt. Episcopi alicuius Ecclesiarum Praelati nisi elegerint sepulchram, in Cathedrali eius Praepositi sunt, debent sepeliri. Peregrini si non habeant majorum sepulchra, vel nequeant ad illa deferri & non elegerint sepulchram, sepeliendi sunt in Parochia, ubi illis administrantur sacramenta. n. 186.

79. Qui alicubi recreationis, aut negotiationis causa existens decedit, non in loco ubi decedit, sed ubi domicilium habet sepeliri debet, si ad eum abique

periculo asportari valeat. Episcopi, alii- que Ecclesiarum Prælati, nisi elegerint sepulturam, in Cathedrali cui præpositi sunt: Clerici majorum sepulera non habentes, in Ecclesia, ubi sunt beneficiati. Peregrini si nec sepulturam elegerint, nec habeant majorum sepulturam, vel ad eam deferri nequeant, sepeliendi sunt in Parochia, a qua Sacramenta receperunt. Tract. 18. cap. 3. num. 186. Religiosi eligere sibi nequeunt sepulcrum, sed in Monasterio, in quo moriuntur sepeliendi sunt. Si extra Monasterium decedant, & ad illud possint deferri ad illud deferendi sunt, etiam Parochis inconsultis. Quod si moriantur remoti a Monasterio, non electa sepultura, sepeliuntur in Ecclesia Parochiali; & in tali casu tenetur Monasterium solvere expensis pro tali Religiosi sepultura factas. Novitii possunt sibi eligere sepulturam extra Monasterium; sed si non eligant, in Monasterio sepeliendi sunt; etiam si moriantur in domibus parentum, vel alio loco, ad quem retento habitu, & cum licentia Superioris, curationis, vel alterius rei causa devenerunt. n. 187.

80. Servi familiares, vel commensales Religiosorum decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt in Monasterio, etiam repugnantibus Parochis, prout ex variis privilegiis. Necessè est autem ut actu interviant, in Monasterio resident, & sub obedientia vivant. Et ex dictis privilegiis possunt talibus famulis omnia sacramenta ministrare, quæ a Parochis ministrantur, excepto Baptismo, & Matrimonio. Tract. 18. cap. 3. num. 188. Prælati Religionum nequeunt extra suam jurisdictionem sibi sepulturam eligere: bene vero intra suam jurisdictionem, & intra suam respectivè jurisdictionem; nempe Generalis in quocunque Conventu totius Ordinis: Provincialis in quolibet loco sui Monasterii, num. 189. Mortaliter peccat Parochi aut Religiosi, qui aliquem sepelire audent in sepultura, in qua non debet ex jure sepeliri, ob damnum, & injuriam illatam Ecclesie, cui debebatur illud cadaver: & tenentur restituere corpus si

petatur, & omnes proventus ex funere provenientes. n. 190.

81. Gravissimas pœnas in jure statutis incurrunt inducentes aliqua ad jurandum, votendum, vel promittendum, quod in ejus Ecclesia eliget sepulturam, vel ad immutandam electam. Nec peccant, nec has pœnas incurrunt qui simpliciter alium inducunt ad eligendam suam Ecclesia sepulturam, absque juramento, voto, vel promissione sub fide data: nec qui inducunt ad eam eligendam in testamento, vel codicillo, quia hoc non est votum, aut juramentum: neque qui induceret etiam cum voto, vel juramento ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia, non vero in propria: nec laici, aut confratres inducentes etiam cum juramento, aut promissione aliquem ad eligendam sepulturam in suis Ecclesiis, quia jura solum loquuntur de Clericis, aut Religiosis: nec Clericus aut Religiosus inducens etiam cum voto &c. ad eligendam sepulturam in Ecclesia, in qua eligens aliàs de jure sepeliendus erat. Incurrunt autem dictæ pœnæ secuto voto &c. licet non sequatur effectus sepulturæ. Tract. 18. cap. 3. num. 191. Corpora jam sepulta exhumentes ut ea expolient, gravissimum peccatum committunt; ad restitutionem tamen eorum quæ abstulerint non tenentur, quia pro derelictis habentur. Sepulera infringentes, deformantes, cadavera expoliantes, infamiam, & consequenter irregularitatem incurrunt. Possunt Prælati Regulares de consensu eorum ad quos cadavera spectant in suis Ecclesiis sepultura, ea ad alium locum transferre, etiam inconsulto Episcopo; & etiam licentiam dare ut a Curia seculari insipientiarum in ordine ad Processum. n. 192.

82. Ecclesiastica sepultura privantur omnes infideles, Paganis, Judæis, hæreticis, & horum fautores, &c. Apostata a fide schismatici, publici excommunicati excommunicatione majore, nominatim specialiter interdicti, & quilibet alius in loco generaliter, vel specialiter interdicto. Item seipios occidentes ex industria ob desperationem, vel iracundiam.

nam, nisi ante mortem signa dederint penitentiae: scus qui ex infantia, vel alia passio: rationem penitus absorbente: Quæ nisi evidentissime constet aliquid seipsum ex desperatione, vel iracundia occidisse, & penitentiae signa non dedisse, sepultura Ecclesiastica privandus non est. Item morientes in duello, licet penitentiae signa dederint, & comprehenduntur non solum provocantes, sed etiam duellum admittentes, in iis tamen casibus, in quibus licitum non est: dummodo tamen in ipso conflictu decesserint; scus vero si post conflictum, aut extra locum duelli cum signis penitentiae obierint. Item manifesti, & publici peccatores absque penitentiae signis decedentes in quocunque genere peccati: Dicitur autem manifestus peccator, cujus grave peccatum constat confessione ipsius, vel evidentia facti quatenus mali, quod nullo modo potest interpretari, nisi sub ratione mali, & notorium est majori parti Urbis, etiam delictum semel tantum commissum sit. Tract. 18. cap. 3. num. 193. &c.

83. Privantur quoque Ecclesiastica sepultura ii qui semel in anno propria peccata confiteri, & etiam in Paschate Eucharistiam sumere, notorie, & absque probabili excusatione omittant, si absque penitentiae signis obierint: scus qui in anno alterum ex dictis duobus sacramentis sumpsit. Denique Ecclesiastica sepultura privantur pueri etiam Christianorum nondum baptizati: scus dicendum de infantibus mortuis existentibus in utero matris defunctæ, quia non censentur ab ea moraliter distincti: & de catechumenis, quia præsumitur eos habuisse baptismum in voto, si per eos non fletit, quomodo baptizarentur. Tract. 18. cap. 3. num. 200. 195. Defunctos in casibus prohibitis in loco sacro sepelientes mortaliter peccant; & cadaver defuncti, si ab aliis discerni possit, exhumentus est. Insuper qui scienter, & temere sepelire præsumperint in loco sacro hæreticos, eorumque credentes, fautores, &c. excommunicacionem majorem incurrunt, a qua absolvi non possunt nisi idoneam satisfac-

tionem dederint, & cadavera eorum propriis manibus extrumulerint, & proceperint. Qui vero defunctum in loco interdicto, vel nominatim interdictionum, vel publice excommunicatum, vel usurarium manifestum in loco sacro sepeliverint, excommunicationem pariter incurrunt, a qua absolvi non possunt, nisi arbitrio Diocesani satisfactionem dederint competentem. Sive res certa, sive dubia sit, nemo Ecclesiastica sepultura privandus est, nisi prius per sententiam Episcopi constet defunctum talem poenam mereri. Si cadaver sit alicujus Religiosi ad ejus Superiorem localem pertinet ferre sententiam. n. 202. 203. 204.

84. Liberum est omnibus fidelibus five Clericis five laicis eligere sibi sepulturam in Ecclesiis Regularium. Quod si non elegerint, habeant tamen ibi sepulturam suorum majorum, in ea possunt Regulares ipsos sepelire, five cum habitu Religiosis, five absque eo. Tract. 18. cap. 3. nu. 205. Peccant mortaliter Parochi peccato simoniae & injustitiæ, si plus exigant pro associandis corporibus defunctorum ad Ecclesias Regularium, quam si ad Parochias deferrentur, & incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. num. 206. Hæredes defuncti non tenentur vocare ad associandum corpus tot Clericos, quot Regulares, nec prius totum Capitulum quam Religiosos, nec tot intortitia dare Parocho, quot Regularibus; sed possunt vocare Clericos sibi bene viros, & illis dare ceram prout sibi placuerit. n. 207. Ad corpus in Parochia levandum Parochus vocari debet, & expectari, eoque præsentè, & non aliter efferri: Si vero levare noluit, resistat, impediatur, vel retardetur; poterunt Regulares absque eo, & etiam eo contradicente levare corpus illius, qui apud ipsos sepulturam elegit, & ad Monasterium deferre, nec tenentur illud prius ad Parochialem ferre. n. 208. 209.

85. Habitus Religiosis cum quo quis sepeliendus est, non nisi a Superiore illius Conventus cujus est habitus, concedi potest. Tract. 18. cap. 3. num. 211. Officium super cadavera sepelienda in Ecclesiis



cleris Regularium omnino faciendum est ab ipsis Regularibus, vel ab aliis de eorum consensu, non vero a Parocho, vel Canonico, non obstante quacunq[ue] consuetudine, etiam immemorabili in contrarium. Nec potest Parochus in prædictis Ecclesiis, dum ibi cadavera sepeliuntur in aliquo se intrinse, nec ullum actum in iis exercere; nec hæredes cogere, ut in Ecclesia Parochiali aliquas Missas celebrare faciant pro defuncto sepulto, vel sepeliendo; nec candelas exigere, aut alia a puerperis oblata in Ecclesiis Regularium. Ita ex pluribus decretis. Quæ dicta sunt de Regularibus, etiam de Monialibus exemptis sunt intelligenda, ita quod nullus intra earum Ecclesias, quoties cadavera defunctorum in eis sepelienda sunt, nec Canonici, nec Clerici possunt peragere officia defunctorum ac reliqua, quæ in huiusmodi ministerio exhiberi solent; sed vel ab ipsis facta, vel ab iis, quibus ipsæ Moniales id libere commiserint. nu. 212, 213. Sacularis in Monasterio hospitans, si ibi infirmetur, & moriatur, non electa sepultura, in ipso Monasterio in quo decessit sepeliendus est: & ab iisdem viaticum, & extremam unctionem recipere debet; cum Parochus intra Monasterium nullum actum jurisdictionis valeat exercere. nu. 214, 215.

86. Portio Canonica alia est Episcopalis, & est illa portio vel quantitas, quæ debetur Episcopo, & omnibus suæ Diocesis Ecclesiis ex legatis & donationibus, causa mortis quibuscunq[ue] locis piis factis. Alia est portio Canonica Parochialis, quæ vocatur Quarta funeralis, & hæc est illa portio quæ secundum consuetudinem legitime præscriptam Parocho debetur de funeralibus; & est solum de his quæ cadaver comitantur, vel circa illud in tumulo apponuntur, vel circa Crucem deferuntur. Plura sunt Privilegia exemptionis Regularis a solutione Quartæ funeralis, intelligenda tamen juxta temperamentum positum a Concilio Tridentino: nempe quod illa Monasteria quæ ultra 40. annos ante confirmationem Tridentini solita erant solvere Quartam fune-

ralem, eam etiam in posterum solvere teneantur non obstantibus quibuscunq[ue] privilegiis: Quod illa Monasteria quæ ultra 40. annos ante Tridentinum solita non fuerunt solvere Quartam funeralem, eam nec in posterum solvere teneantur: Quod ea Monasteria quæ citra 40. annos ante Tridentinum fundata sunt, vel post Tridentinum eam juxta sua Privilegia minime solvere teneantur. Exemptionem a solutione Quartæ funeralis concessere inter alios Nicol. V. Sixtus IV. Julius II. Clem. VII. & specialiter pro Carmelitis exalceatis Clem. VIII. & Paulus V. & peccant mortaliter Parochi, litibus, & tumultibus Regularibus exemptis cogere volentes ad Quartæ funeralis solutionem: & ipse Sixtus IV. Parochis cogentibus Regularibus ad eam solvendam imposuit poenam excommunicationis, & privationis suorum beneficiorum, cum inhabilitate ad eadem, & alia in posterum obtinenda. Traçt. 18. cap. 3. num. 225, 228, 230. &c.

87. Possunt Prælati Regulares cum suis subditis dispensare in omnibus pœnis, & inhabilitatibus contractis ob quacunq[ue] delicta, ut privationis ab Officio, beneficio, dignitate, inhabilitatis ad illa, vocis, & loci, &c. etiam si sint reservatæ Summo Pontifici. Ex privil. Sixti IV. Pii V. & Greg. XIV. Possunt quoque Prælati Regulares, nempe Generales, Provinciales, Priores locales, dispensare cum suis subditis illegitimis ad recipiendas quascunq[ue] Prælaturas, & dignitates juxta interveniente causa. Ex privilegio Clem. VIII. & Pauli V. Traçt. 10. cap. 9. n. 57. Possunt Prælati cum suis subditis dispensare in omnibus legibus, & præceptis Ecclesiasticis in casibus in quibus potest inferior in lege superioris dispensare. Traçt. 18. cap. 4. num. 31. In dubio an indigeat subditus dispensatione ad non recitandum Officium, ad non jejunandum, &c. vel an detur sufficiens causa dispensandi, potest Prælatus dispensare, & subditus tuta conscientia uti dispensatione. num. 33. Possunt etiam dispensare in regularibus observantiis, si consuetudine vel statuto Religionis non sit talis dispensatio interdicta. nu. 35. Cause sufficientes ad licite, & valide dispensandum in regularibus observantiis sunt: magna solemnitas, utilitas maxime spiritalis, qualitas personæ, necessitas, pietas, evitatio scandalum; aut offensæ personæ magnæ auctoritatis. num. 36. Possunt etiam Prælati Regulares dispensare cum suis famulis commensalibus, ut in die festo laborent; cum extraneis vero, ut in Monasterio laborent, solum dispensare possunt pro die S. Michaelis, S. S. Innocentium, & S. Silvestri, si non occurrant in Dominica. Licet ex privilegiis dispensare non valeant cum extraneis ad laborandum: ex jure tamen communi excusantur a peccato seculares, qui gratis laborant diebus festis pro Ecclesiis, pro locis piis, pro Monasteriis pauperum Religiosorum in constructione, vel reparatione, vel alio opere necessario, audita prius Missa. nu. 37.

88. Possunt Prælati Regulares per se, vel per Confessarios a se deputatos cum conjugatis dispensare in jure petendi debitum amisso per incestum in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel propter votum castitatis emissum ante, vel post contractum Matrimonium; immo probabile est omnes Confessarios Regulares, etiam absque speciali deputatione Provincialis, vel Prioris in hoc dispensare posse. num. 38. Possunt Prælati Regulares suas Ecclesias, & Oratoria benedicere, eademque si sanguinis, aut seminis effusione pollutæ fuerint, aqua se benedicere, si consecratæ non sint, reconciliare: si vero consecratæ sint, aqua ab Episcopo benedicere. Item possunt omnia paramenta saltem propria, corporalia, pallas, purificatoria, Pyxides, & alia vasa ad reponendum SS. Eucharisticæ Sacramentum benedicere, (iis exceptis in quibus intervenit Crisma, ut sunt calices, patenæ, aræ, campanæ,) & possunt etiam alius hanc facultatem delegare. nu. 39.

89. Regulares cujuscunq[ue] Ordinis predicare non possunt, sive in propriis sive in alienis Ecclesiis, nisi a suis Superioribus de doctrina, & moribus examinati, & approbati fuerint, eorumque licentiam habuerint, etiam si Episcopi licentiam habeant; & si sine eorum licentia, & approbatione prædicent, mortaliter peccant. Et peccant etiam mortaliter Prælati qui subditos non idoneos, ac de vita, & moribus, & scientia non approbatos prædicare permittunt. Traçt. 18. cap. 4. num. 176. Non possunt Religiosi prædicare, nisi cum licentia, & approbatione suorum Superiorum coram Episcopo se præsentaverint, & ab eo benedictionem seu licentiam petierint ad prædicandum in suis Ecclesiis, in alienis vero nisi etiam eam impetnaverint. Usus autem obtinuit quod ad prædicandum in propriis Ecclesiis licentiam petant solum pro Adventu, & Quadragesima, non vero pro aliis festivitibus. Ad prædicandum autem in plateis, & vis publicis non debent coram Episcopo prælatari, nec ab eo licentiam petere, quæ Tridentinum solum loquitur de Ecclesiis. n. 177. Ad prædicandum in propriis Ecclesiis sufficit Regularibus petitio benedictionis seu licentiæ ab Episcopo, etiam si minime obtineatur, prout expressè declaravit Sacra Rit. Congr. n. 178.

90. Juxta Bullam: *Superna*, &c. & alia: *Inscrutabili*, &c. positive contradicente, seu repugnante Episcopo neque in propriis Ecclesiis Regulares prædicare possunt. Idem etiam dicit Tridentinum: sed tam Concilium, quam præfata Bulla intelligendæ sunt, quando ipse Episcopus prædicat: vel coram se solemniter prædicare facit. Traçt. 18. cap. 4. nu. 182. Potest Parochus dare licentiam viro docto, aut Religioso ut his, vel ter in sua Ecclesia sine Episcopi approbatione concionetur. Regulares semel pro concionibus approbati ab uno Episcopo, quando sunt transientes, seu in itinere constituti possunt in quocunq[ue] loco prædicare non contradicente proprio Parocho, & non existente Episcopo in eodem loco. num. 184. Nequeunt Episcopi concionatores Regulares examinare, sed hoc pertinet ad eorum Prælatos. num. 186. Tres sunt casus in quibus possunt Episcopi concionatores Regulares suspen-

& approbati fuerint, eorumque licentiam habuerint, etiam si Episcopi licentiam habeant; & si sine eorum licentia, & approbatione prædicent, mortaliter peccant. Et peccant etiam mortaliter Prælati qui subditos non idoneos, ac de vita, & moribus, & scientia non approbatos prædicare permittunt. Traçt. 18. cap. 4. num. 176. Non possunt Religiosi prædicare, nisi cum licentia, & approbatione suorum Superiorum coram Episcopo se præsentaverint, & ab eo benedictionem seu licentiam petierint ad prædicandum in suis Ecclesiis, in alienis vero nisi etiam eam impetnaverint. Usus autem obtinuit quod ad prædicandum in propriis Ecclesiis licentiam petant solum pro Adventu, & Quadragesima, non vero pro aliis festivitibus. Ad prædicandum autem in plateis, & vis publicis non debent coram Episcopo prælatari, nec ab eo licentiam petere, quæ Tridentinum solum loquitur de Ecclesiis. n. 177. Ad prædicandum in propriis Ecclesiis sufficit Regularibus petitio benedictionis seu licentiæ ab Episcopo, etiam si minime obtineatur, prout expressè declaravit Sacra Rit. Congr. n. 178.

90. Juxta Bullam: *Superna*, &c. & alia: *Inscrutabili*, &c. positive contradicente, seu repugnante Episcopo neque in propriis Ecclesiis Regulares prædicare possunt. Idem etiam dicit Tridentinum: sed tam Concilium, quam præfata Bulla intelligendæ sunt, quando ipse Episcopus prædicat: vel coram se solemniter prædicare facit. Traçt. 18. cap. 4. nu. 182. Potest Parochus dare licentiam viro docto, aut Religioso ut his, vel ter in sua Ecclesia sine Episcopi approbatione concionetur. Regulares semel pro concionibus approbati ab uno Episcopo, quando sunt transientes, seu in itinere constituti possunt in quocunq[ue] loco prædicare non contradicente proprio Parocho, & non existente Episcopo in eodem loco. num. 184. Nequeunt Episcopi concionatores Regulares examinare, sed hoc pertinet ad eorum Prælatos. num. 186. Tres sunt casus in quibus possunt Episcopi concionatores Regulares suspen-

Ipendere, & punire; ex Concilio Lateranensi. Primus. Si prædicent miracula falsa, aut incerta. Secundus. Si prædicent prophetias in Sacra scriptura non fundatas, aut a Sede Apostolica, vel saltem ab Episcopo, adhibito trium vel quatuor eruditorum examine, non approbatas. Tertius. Si prædicando, de Episcopo, vel de suis Prælatibus detrahant. Alii tres casus habentur ex Tridentino; nempe si prædicent propositiones scandalosas, erroneas, vel hæreticas. nu. 188. Possunt etiam puniri ubi viget Bulla: *Inscrutabili*, &c. si in Ecclesiis non suorum Ordinum absque Episcopi licentia, vel in Ecclesiis suis Ordinis non petita ejus benedictione, vel illo contradicente prædicaverint. num. 190. Prædicantes miracula falsa peccant mortaliter; secus qui falsas citationes proferunt; cum mendacium circa doctrinam non sit, sed circa accidentia. Verius est concionantem in peccato mortali non peccare mortaliter, nisi ejus peccatum publicum sit. Miscent concionibus factias regulariter peccant venialiter. num. 193. De Regularium privilegiis ad alias materias pertinentibus, vide ubi de talibus materiis agitur.

## TRACTATUS XIII.

## De Sacramentis in genere, &amp; de Baptismo, Confirmatione, &amp; Eucharistia.

## PROŒMIUM.

CUM Sacramenta juxta D. Thomam sint quadam spirituales Medicinæ contra vulnera peccati, quod est prævaricatio legis: recte post notitiam eorum quæ observare tenemur, agitur de Sacramentis per quæ vel a peccato defendimur, vel a peccato sanamur. Et primo quidem de Sacramentis in genere:

deinde singillatim de iis Sacramentis quæ ad vitam spiritualem conferendam, roborandam, & nutriendam ordinata sunt; nempe de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia.

## CAPUT I.

## De Sacramentis in genere.

1. Sacramentum est signum rei sacræ significantis homines: & hoc non ex natura rei, sed ex sola institutione divina pro toto statu legis Gratiæ. Tract. 1. cap. 1. num. 16. 21. Est signum Gratiæ Sanctificantis, quæ de presenti datur in usu, vel applicatione ipsius Sacramenti recte illud suscipientibus. cap. 2. num. 31. Sacramenta novæ legis sunt septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium. cap. 3. num. 1. De Fide est omnia hæc a Christo Domino fuisse immediate instituta. num. 9. Potuit ex commissione Dei communicari puræ creaturæ potestatis excellentiæ, quoad substantiam ad instituenda proprie Sacramenta, secus vero quoad omnem perfectionem, & modum; quod est in Christo Domino. num. 22. Omnia Sacramenta novæ legis componuntur ex rebus ut materia, & verbis ut forma, tanquam partibus essentialibus, & intrinsecis: sub nomine autem rerum comprehenduntur etiam actus sensibiles, non vero natus, signa, aut scriptura, excepto Sacramento Matrimonii. cap. 4. nu. 7. 10. 11. 23.

2. Ecclesia non potest formaliter mutare materias, & formas Sacramentorum; bene vero materialiter. Tract. 1. cap. 4. num. 43. Mutatio substantialis tam materię quam formæ reddit invalidum Sacramentum; secus vero mutatio accidentalis. Mutatio formæ tunc est substantialis quando corrumpit legitimum verborum sensum; si vero illum non corrumpat, est accidentalis. Mutatio idiomatis est accidentalis. num. 50. 51. Latini

ini omnes debent in forma uti latina lingua, præterquam in Sacramento Matrimonii, in quo forma lingua vulgari exprimitur, & in Sacramento Baptismi cum confertur a nesciente latinam linguam. nu. 52. 53. Additio, vel detractio si non tollat legitimum sensum, est accidentalis: sic etiam mutatio per Synonima idem proprie significantia; si autem verba idem improprie significant, erit dubium Sacramentum. nu. 54. Mutatio significationis ab activa in passivam non tollit valorem Sacramenti. nu. 55.

3. Modica temporis interjectio, vel unus, aut alterius verbi interpositio est accidentalis. num. 57. Mutatio verborum formæ in natus, & signa in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio, est substantialis. num. 61. Quantumcunque aliquis intendat novum errorem introducere in forma Sacramenti, si tamen retineat generalem intentionem faciendi quod Christus instituit, aut quod vera facit Ecclesia, & utatur forma consueta, absque substantiali mutatione, verum conficit Sacramentum. etiamsi id quod addit, aut omittit, falso credat esse de essentia formæ. num. 67. 68. 69. Si mutatio formæ fiat per verba ambigua, & æquivoca, quæ in uno sensu continent veram formam, secus in alio, & ad hunc falsum, sensum per ministrum intentionem determinentur, nullum conficitur Sacramentum. num. 70. 71. Mutatio accidentalis notabilis, & plene deliberata est ex genere suo peccatum mortale sacrilegii. nu. 75. 76. 77. Peccat mortaliter, qui in Sacramentis consciendius utitur forma dubia, incerta, aut etiam probabilis, relicta certa. nu. 78.

4. Dupliciter obtinetur gratia: scilicet vel ex opere operantis, ut cum datur juxta mensuram dispositionis, vel merito suscipientis illam, v.g. cum quis elicit actum contritionis ut 4. & recipit gratiam ut 4. Aut si iustus elicit actum dilectionis, & recipit augmentum gratiæ juxta mensuram talis actus: Vel ex opere operato, nempe virtute operis, quod jam operatum est a Christo Domino, cujus virtus in Sacramentis conti-

Pars II.

netur. Tract. 1. cap. 5. nu. 1. "Omnia Sacramenta novæ legis vere causant gratiam ex opere operato, verum moraliter sed etiam physice instrumentaliter; non in tempore, sed in instanti. Tract. 22. Diss. 1. n. 11. 21. 51. 74. Fictio in Sacramentorum susceptione est indispositio ad effectum Sacramenti, nempe ad gratiam in recipiente illud. nu. 85. Omnia, & sola Sacramenta imprudentia characterem, si cum fictione suscipiantur, ea recedente causant gratiam. nu. 86. 91. Gratia sanctificans dividitur in primam, & secundam. Prima est quæ infunditur in subiecto omni prolixi gratia destituito: secunda dicitur quæ supponit in subiecto aliquem gratiæ gradum, & eam auget. Sacramenta alia sunt mortuorum, nempe Baptismus, & Pœnitentia; & hæc per se causant primam gratiam, secundam vero per accidens; reliqua vero dicuntur sacramenta vivorum; & hæc per se causant secundam gratiam, scilicet augmentum gratiæ; & aliquando primam, sed per accidens: id enim per se causatur ad quod quid est infinitum. num. 104. 106. 108. 111. 118.

5. Omnia sacramenta solo numero distincta causant in subiectis æqualiter dispositis æqualem gratiæ gradum: secus in subiectis inæqualiter dispositis; Sacramenta vero specie diversa subiectis æqualiter dispositis inæqualem conferunt gratiam. nu. 126. "Gratia sacramentalis seu collata per Sacramentum addit supra gratiam gratum facientem, seu habitalem communiter dictam, aliquem modum intrinsecum eam ascendentem, & trahentem ad exigentiam specialis auxilii in ordine ad effectus Sacramenti correspondentes. Tract. 1. cap. 5. num. 29. 33. Sacramenta novæ legis non ponentibus obicem semper, & infallibiliter conferunt gratiam. num. 40. Peccatum mortale in ipsa Sacramenti susceptione commissum impedit effectum gratiæ. nu. 43. Ad recipiendam primam gratiam, sive per se in Baptismo, & Pœnitentia: sive per accidens in aliis Sacramentis, requiritur non solum cessatio a peccato mor-

Ggg